

meruit Petrus eam dignitatem, et ipsa fides Petri in eo permanens habeatur ut causa formalis (etsi partialis, ut mox dicturi sumus) qua constituitur Petra; subiectum tamen quod in recto est Petra secundum verba Christi ipsa est persona Petri.

Ergo, cum haec verba *super petram aedificabo Ecclesiam meam* significant supremam potestatem in Ecclesia alicui conferendam, et haec verba dicta sint uni Petro; suprema in Ecclesia auctoritas uni Petro est promissa, auctoritas nimirum in universam Ecclesiam, et in omnes et singulos qui ad Ecclesiam spectant.

Ergo, cum ceteri Apostoli etiam collegialiter adunati ad Ecclesiam spectent et sint distincti a Petro, in eos quoque suprema auctoritas est Petro promissa.

Ergo primatus Petri non est tantum honoris, sed iurisdictionis; talis enim est auctoritas qua societas regitur: non est tantum *archetypus*, quo *Ecclesiae* unitas demonstratur, sed est *ἐνεργητικὸς*, quo Ecclesiae unitas efficiatur; auctoritas enim activa est, suae efficacia ad unitatem redigit membra societatis.

IV. Quapropter interpretatio protestantium ut prorsus aliena a verbis Christi reiicienda est. Et quidem nec refutatione digna est ea interpretatio metaphorae *petrae*, quae fundamentum translationis in eo ponit quod *πέτρος* sit lapis qui volvitur et proiicitur; repugnat enim verbis Christi qui petram spectat prout super ipsam aedificium construitur: hic porro non est lapis qui proiicitur, sed qui manet, suae firmitate et stabilitate aedificium sustentat. Quae vero maxime protestantibus arridet interpretatio ea est, quam priore loco commemoravimus; nempe Christum super Petrum aedificaturum Ecclesiam suam, quia Petrus eligendus erat prae ceteris, qui omnium primus Iudaeis ac Gentibus Evangelium praedicaret, eosque ad Ecclesiam adunaret.

Verum 1) huiusmodi interpretatio nunquam venit in mentem Patribus; 2) repugnat cum conceptu Christi Domini. Ipse enim exhibet Petrum sub notione *petrae*, cui aedificium innititur, sive fundamenti: porro notio fundamenti continet necessario notionem stabilitatis, aliquid scilicet stabile et perseverans est fundamentum; manet enim fundamentum ut aedificium maneat: at praedicatio prima Petri fuit actus transiens: mansit quidem doctrina, sed prima praedicatio, quae actus fuit, transit prorsus: praerogativa ergo haec prioritatis praedicationis non respondet imagini fundamenti. Sane fundamento deficiente corrui aedificium, at desinente prima illa praedicatione Petri, Ecclesia perseveravit. Itaque quod Petrus prior omnium Iudaeis et Gentibus praedicaverit, fuit id quidem exercitium illius auctoritatis, qua insignitus est cum *petra* Ecclesiae est constitutus; at

illud solum non potuit esse ratio sufficiens cur fundamentum Ecclesiae diceretur.

Similem interpretationem praeoptavit Dr. Langen statuens *petram* seu fundamentum Ecclesiae esse fidem vel confessionem fidei Petri hoc quidem pacto quatenus scilicet ea fides sive ea confessio fidei fundamentum est cui aedificatio Ecclesiae una vice facienda, in aeternum valitura innixa fuit. Iubet scilicet nos hic Dr. perpendere quod Christus non de Ecclesiae duratione loquitur sed de eius institutione quae olim semel pro semper facta est (P. I. §. 3). Concedit proinde oportere ut Ecclesia usque ad finem habeat fundamentum (ibid. pag. 14), sed negat consequens esse quod etiam fundamentum durare debeat (§. 7<sup>o</sup> pag. 49): hoc enim fundamentum pro Ecclesia semper duratura est confessio Petri ab initio existens supposita Ecclesiae aedificationi (pag. 14 et 51-56). Nimirum verus Ecclesiae conceptus is est ut tota ab initio ad finem usque existens consideretur ut una domus unum aedificium, cui proinde unum fundamentum sufficit quod ab initio ponatur; et hoc fuit confessio aut fides Petri (pag. 14. not.).

Verum 1<sup>o</sup> falsum est quod Christus heic de Ecclesiae duratione non loquatur, seu non concipiat et exhibeat Ecclesiam ut permanentem; ait enim: et portae inferi non praevallebunt adversus eam utique fundatam supra *petram*. Sermo est scilicet de aedificatione domus in aeternum mansurae. Tum 2<sup>o</sup> id est de ratione intrinseca fundamenti sive eiusdem habitudinis ad aedificium ut tamdiu maneat quamdiu aedificium stat: cum ergo agitur de fundamento aedificii, illud necessario concipitur ut perseverans. Confessio autem Petri potuit quidem esse aliquid primum in Ecclesia: sed aliud est esse primum in aliqua serie, aliud esse fundamentum domus. Idem dicas de praedicatione Petri ad quam pariter videtur hic auctor alludere (pag. 14) tanquam fundamentum Ecclesiae. Gratuita est ergo et Christi verbis repugnans huiusmodi interpretatio.

Ratio, qua moti protestantes interpretationem catholicam impugnant suasque tuentur, est reapse dogmatica. Principio enim statuunt nullum esse qui in Ecclesia Christi universa primatum gerat; hoc posito, quod se iam demonstrasse putant, concludunt verba Matthaei quidquid aliud dicere debere quam quod Pontificii volunt. Ut vero argumentis demonstrant quod constituunt, provocant potissimum ad tria: nempe a) I. Cor. III, 11, ubi praeter Christum nullum aliud esse posse fundamentum Ecclesiae docemur; non ergo Petrus aut ullus alius; neque ergo Petrus ullusque alius ea potestate auctus est quam ex notione fundamenti eruunt catholici: b) Ephes. II, 20. ubi Apostoli omnes fundamentum Ecclesiae dicuntur, nihil ergo speciale

collatum est Petro et successoribus eius (Cf. Apoc. XXI, 14): c) provocant ad auctoritatem Patrum, quorum consensus nullus est in interpretatione verborum *super hanc petram*, et quorum plurimi, iique nobilissimi petram intelligunt vel Christum vel Fidem Petri eamque obiective spectatam: quare interpretatio Pontificiorum reiici merito potest.

Verum ad 1<sup>a</sup> dupliciter respondemus. 1) Dato etiam quod Paulus eo in loco Christum vocet fundamentum Ecclesiae sub ea generica ratione qua Petrum dictum esse fundamentum societatis quae est Ecclesia volunt catholici, non sequitur Petrum non esse fundamentum Ecclesiae. Tenent enim omnes Catholici Christum esse primam petram, fundamentum princeps, qui ex se, virtute sua est petra fundamentum: Petrum autem non nisi participatione et communicatione Christi esse sub ipso et per ipsum petram et fundamentum secundum, non autem fundamentum primum aut solum; quod quidem diserte profitentur Catholici cum Leone in Serm. 3. assumptionis suae. Cum ergo Christus fundamentum dicitur Ecclesiae intelligitur, et intelligi debet iuxta indolem subiecti, fundamentum princeps, ex sese: porro praeter Christum nullum aliud huius generis poni potest. Sed fundamentum princeps non excludit secundarium: sicut ex eo quod Christus sit lux, non sequitur Apostolos non esse per ipsum lucem mundi. Quare cum ille sensus verissimus sit et verba Pauli avulsa a contextu eum praefere possint, hinc Patres ad hoc doctrinae caput inculcandum, iis verbis Pauli utuntur: cum praesertim cum dignitate ibi asserta Christo a Paulo conserta sit quoque dignitas personalis fundamenti principis in Ecclesia.

At 2) negamus eum esse sensum in verbis Pauli, quem protestantes supponunt. Heic enim ab Apostolo Iesus Christus dicitur fundamentum, quatenus doctrina de Christi Divinitate caput est et principium totius Christianae institutionis, quae tota illi incumbere debet. Quocirca Gregorius M. fundamentum hoc quod est Christus Iesus interpretatur fidem in Christum (Moral. L. XXV, n. 26. epist. 46. L. XI). Item Adrianus I in litteris ad Episcopos Hispaniae. Et sane fundamentum hoc ipse Paulus ut sapiens architectus posuit, id vero ipse non nisi docendo efficere potuit. Sermo est ergo de fundamento doctrinae. Porro aliud est dici fundamentum institutionis sive doctrinae, aliud dici fundamentum societatis; notiones sunt diversae, illud enim est veritas quaedam princeps, hoc est auctoritas quaedam princeps: affirmante ergo Paulo quod praeter Christum Iesum non possit aliud fundamentum poni, non denegatur Petro dignitas fundamenti societatis huius quae est Ecclesia.

Ad 2<sup>m</sup> Ephes. II, 20. dicuntur *fideles superaedificati super fun-*

*damentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Quaeri primum potest de quibus prophetis sit sermo. Sunt enim qui putent prophetas esse Novi Testamenti, quod quidem probant ex collatione sequentium. Cap. enim III, 5. dicitur mysterium Christi, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est *sanctis Apostolis eius, et prophetis* in Spiritu. Et cap. IV, 11. ait Apostolus quod Deus dedit *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas*, alios vero evangelistas, alios autem doctores et pastores. Cf. I. Cor. XII, 28. Verum ipse contextus immediatus Ephes. II, 20. huic sententiae repugnat. Dicitur enim Christus lapis summus angularis *ἀκρογωνιαίος*, alluditque Paulus ad Isaiam 28, 16, et Psal. 117, 22; lapisque exhibetur, qui factus est *פנה ראש פינה* *εἰς κεφαλὴν γωνίας*; quod declarat August. De Verbis Domini Serm. XLIX: «Nonne ideo Dominus venit ut instrueret Ecclesiam suam, ipsosque Iudaeos bene credentes et bene sperantes et bene diligentes segregaret tanquam frumenta a paleis, et faceret unum parietem circumcisionis, cui coniungeretur alius paries ex praeputio gentium, quibus duobus parietibus de diverso venientibus esset ipse lapis angularis?» Sub imagine ergo lapidis angularis repraesentatur Christus tanquam ille qui utrumque populum Iudaeum et gentilem sibi copulans in unam adunavit domum quae est Ecclesia sua. Quam quidem interpretationem praecedentia exigunt: ait enim gentes olim sine Christo fuisse, alienatos a conversatione (*πολιτεία*) Israel, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes (v. 12): nunc autem factos esse prope in sanguine Christi qui fecit *utraque* (Iudaeos nempe et gentes) *unum* (13, 14) et reconciliavit *ambos in uno corpore* Deo per crucem (16) et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis (gentibus) et pacem iis, qui prope (Iudaeis) (17): unde concludit: ergo iam non estis hospites et advenae (quemadmodum dixerat de iis superius v. 12), sed estis cives sanctorum et domestici Dei *superaedificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Cum ergo imago lapidis angularis exhibeat Christum iungentem duos, nempe venientem ex circumcisione et ex praeputio; et heic dicatur Christus esse lapis angularis pro ipso fundamento (in ipso namque fundamento lapis est angularis, ut Augustinus advertit in Psal. LXXXVI) Apostolorum et Prophetarum, liquet prophetas veteris Testamenti designari, qui in Christo Apostolis coniunguntur; una est enim utrorumque praedicatio de Christo.

His positis, advertimus, si comparentur verba Pauli cum verbis Matthaei, ea verbaliter et realiter differre. Verbaliter quidem differunt; nam praeter cetera, a Matthaeo Petrus dicitur petra seu fun-

damentum; a Paulo vero non dicuntur Apostoli fundamentum, sed dicitur *fundamentum Apostolorum*. Fundamentum autem Apostolorum potest esse fundamentum iactum ab Apostolis, puta doctrina, quae est fundamentum institutionis Christianae (cf. verba Pauli ad Corint. I. c. ut sapiens architectus fundamentum posui). Differunt realiter, nam *a*) verba Matthaei ad unum Petrum diriguntur, verba Pauli de omnibus simul Apostolis dicuntur: porro saltem intensione differt eadem praerogativa tributa uni, et tributa simul pluribus: *b*) penes Paulum de fidelibus dicitur quod sint supraedificati super fundamentum Apostolorum; apud Matthaeum vero de universa Ecclesia affirmatur, quod supra Petrum aedificetur; universa autem Ecclesia ipsos Apostolos comprehendit, qui proinde super Petrum sunt aedificati: dignitas ergo Petri et intensione et extensione differt. *c*) Dignitas asserta a Paulo omnibus Apostolis asseritur etiam Prophetis Testamenti veteris; at Prophetae non nisi ratione doctrinae possunt esse fundamentum Ecclesiae.

Iam vero ex his sequitur 1) dato etiam quod Apostoli dicantur fundamentum fidelium, non ex eo consequens esse ut eodem modo dicantur et sint fundamentum ac est Petrus. Liquet ex animadversione *a*) et *b*).

Sequitur 2) reapse dignitatem fundamenti hoc in loco non praedicari directe de Apostolis sed de doctrina ab ipsis praedicata: patet quia cum Prophetis T. V. sociantur de quorum doctrina tantum directe praedicari potest dignitas fundamenti fidelium. Indirecte vero ac in obliquo ipsi quoque fundamentum vocantur propter doctrinam quam praedicarunt.

Ad locum productum ex Apocalypsi XXI, 14 idem respondemus, per symbolum scilicet nominum duodecim Apostolorum quae inscripta sunt duodecim fundamentis significari quod Apostolorum doctrinae seu praedicationi innitatur fides Ecclesiae, et ita per eos deducantur homines in eam civitatem. Et sane ut omnem difficultati huic et similibus praeccludamus aditum: Apostoli dicuntur fundamenta Ecclesiae vel ratione doctrinae a se primum praedicatae, vel ratione iurisdictionis, et huius vel extraordinariae vel ordinariae. Si primum, habes discrimen inter Petrum et alios Apostolos: si alterum; non potuit iurisdictio extraordinaria singulorum Apostolorum dici fundamentum Ecclesiae; illa enim desiit, fundamentum autem perseverare debet. Restat ergo iurisdictio ordinaria quae communis est Episcopis successoribus sive partialis in singulis sive integra in toto coetu cui tamen praesit successor Petri. Atqui ratione huius auctoritatis nequit dici exhiberi in Apocalypsi Apostolos sub imagine fundamenti; nam satis evidenter ex inscriptione singulorum nominum

patet ibi spectari Apostolos secundum id quod habent proprium prae aliis ad Ecclesiam spectantibus, iurisdictione vero ordinaria Episcopis et Episcopatu communi est. Relinquitur ergo quod ratione doctrinae ut fundamenta Ecclesiae Apostoli repraesententur quatenus doctrinae ab ipsis praedicatae fides innititur Ecclesiae.

Verum ecce alia difficultas: si per metaphoram fundamenti sub qua aliquis repraesentetur, potest designari solum eius doctrina quae Ecclesiae fundamentum est, cur eodem modo non licebit accipere verba Christi: *super hanc petram*, ut proinde intelligamus super doctrinam a Petro praedicatam aedificari Ecclesiam?

Respondeo primum. Etiam hac interpretatione permissa verbis Christi, quoniam tamen ibidem certe idem est subiectum Petrus et Petra, ita oportet intelligere doctrinam esse fundamentum Ecclesiae ut sit doctrina a Petro tradita et prout ab ipso traditur, h. e. Petrus docens sit fundamentum Ecclesiae. Et quia uni Petro tota Ecclesia comprehensis etiam Apostolis innititur, hinc sequitur quod Petro suprema docendi auctoritas pro tota Ecclesia promittitur. Quia vero suprema docendi auctoritas in Ecclesia nequit esse seiuncta a suprema iurisdictione, ut paulo post dicemus, consequens tandem idem reapse foret, promissam scilicet esse a Christo his verbis Petro supremam in Ecclesiam iurisdictionem.

Respondeo secundo. Quod in locis citatis per metaphoram fundamenti sit directe accipienda doctrina, id non colligimus ex sola appellatione fundamenti, sed ex omnibus simul collatis adiunctis sermonis, ut ex datis responsionibus patet. Quocirca non sequitur ut quod iis in locis intelligitur, ubique possit intelligi.

Respondeo tertio. Si de persona immediate dicitur quod sit petra societatis absque ullo addito limitante, contendimus id ita accipiendum esse ut ea persona sit petra societatis ratione auctoritatis seu iurisdictionis: id probat analysis a nobis instituta huius metaphoricæ locutionis. Et quidem intelligenda est iurisdictione plena et universalis, ideoque docendi, regendi etc. pro tota Ecclesia, si una persona pro tota Ecclesia dicitur esse Petra; minus vero completa et subordinata in singulis, si de pluribus simul dicitur, praesertim cum idem seorsim dictum est uni pro tota ipsa Ecclesia: cf. responsionem datam ad 2<sup>o</sup> testimonium. Quapropter etsi Apostoli simul omnes vocarentur in Scripturis directe petra Ecclesiae, vel ita appellarentur a Patribus, id nihil officeret praerogativae propriae Petri, quae est suprema iurisdictione in Ecclesia, cui iurisdictioni omnes qui in Ecclesia sunt, comprehensis quoque Apostolis, subordinantur, eo quod est Petra, cui omnis Ecclesia a Christo supraedificatur.

V. Restat potior difficultas desumpta ex interpretatione Patrum.

Etenim quidquid sit de interpretatione huius loci secundum intrinsecas interpretandi leges, si tamen norma extrinseca adhibeatur, quae potior Catholicis esse debet, quae est ipsa interpretatio communis Patrum, videtur ea nobis non favere, sed potius adversari. Etenim penes Patres non una sed multiplex huius loci interpretatio occurrit, easque ad quatuor revocat Natalis Alexander H. E. sec. XV, et XVI, Diss. 4<sup>a</sup>. Nimirum 1<sup>a</sup> est ea qua Petra intelligitur ipse Petrus: atque pro ea citat Tertullianum De Praescrip. c. 22, Origenem in c. XVII. Matth., Cyprianum De Unit. Eccles., Hilarium c. XVI in Matth., Basilium in c. II. Isaiae, Ambrosium in Luc. L. VI, n. 97, Epiphanium in Ancorato, Hieronymum in c. XVI. Matth. et ep. LVII. ad Damasum, Augustinum in Psal. XXX, et lib. I. Retract. c. XXI, Cyrillum Alexandrinum L. II in Ioann. c. XII, Leonem M. ep. CXXV, Maximum Taurinensem hom. I in Natali SS. Petri et Pauli, Theophilactum et Euthymium in c. XVI. Matth. etc. Quibus profecto addi poterant Nazianzenus Orat. XXXII, Nyssenus loco superius citato, Chrysostomus hom. IV. in illud: Vidi Dominum, Nilus Abbas Epist. L. II, ep. 261, Asterius Episcopus Amasenus hom. in SS. Principes Apostolorum, Chrysologus sermm. CVII, et CLIV, Gregorius M. L. V. Epist. 20 ad Mauricium Imp. Innocentius III. epist. CCVIII, et alii quos indicabimus in examine harum interpretationum Patrum: tum celeberrimae Synodi Ephesina Act. 3<sup>a</sup>, Chalcedonensis Act. 3<sup>a</sup>, et Synodus Nicaena teste Gelasio I Epist. XVII, tum libri liturgici, sive occidentales, ut ex Sacramentario Gregorii a Menardo edito, et Gallicano a Mabillonio, et Missali Gothico a Card. Thomasio evulgatis patet, sive orientales, ut patet ex allatis testimoniis ex Ecclesia Russiaca quae a Graeca liturgiam accepit, atque ex liturgia Apostolorum iuxta ritum Ecclesiae Maronitarum penes Abrahamum Ecchelensem in opere Euthychius vindicatus p. II, c. 23.

2<sup>a</sup> Interpretatio est quod Petra sit omnes Apostoli super quos est aedificata Ecclesia. Pro hac interpretatione citantur Origenes in c. XVI, Matth. Tract. III<sup>o</sup> (edit. Huetii), Cyprianus epist. XXVII. De lapsis, Hieronymus contr. Iovinian. L. II., Cyrillus Alexand. loco infra citando, Augustinus in Ps. LXXXVI, Theodoretus in eundem Psalmum, Etherius et Beatus L. I. contr. Elipandum, Paschasius Radbertus L. IV in Matth.

3<sup>a</sup> Interpretatio est quod Petra sit illa fides quam confessus est Petrus, vel confessio ea fidei quae primum edita est a Petro. Pro hac plurimi citantur. Hilarius L. VI. De Trinit., Nyssenus lib. de adventu Domini, Ambrosius l. c. Hilarius Diaconus (in Appendice Operum S. Ambrosii) in c. II. Epist. ad Ephes. v. 20. Chrysost. homm. LIV, et LXXXIII in Matth. Auctor Operis imperfecti in Mat-

thaeum hom. XX, qui tamen potius verba Christi Matth. VII, 24 seqq. interpretatur, Isidorus Pelusiota Epist. L. I. ep. 235. Augustinus Tract. VII in Ioan. Cyrillus Alex. L. IV in Isaia, c. 44. v. 23. Palladius in dialogo de vita Ioannis Chrys. c. 19. Iuvenalis hierosolym. in litteris synodicis ad Presbyteros, Leo M. Serm. II. et III. in anniv. assumptionis suae, Chrysologus Serm. LIII, et LXXIV, Theodoretus epist. LXXVII, et CXLVI, Basilius Seleucensis Orat. XXV, in illud: quem me dicunt homines esse filium hominis, Eucherius Lugdunensis, seu alius sub eius nomine, hom. in Natali S. Petri, Felix III. P.R. epist. V, Cosmas Indicopleustes Topogr. christ. L. V. ubi agit de Petro, Gregorius M. L. IV. Epist. XXXVIII, Procopius Gazaetus in Exod. XXXIII, 21. Maximus Confessor ep. XIII ad Petrum illustrem, Beda in c. XXI. Ioan., Damascenus Orat. De Transfig. Domini n. 6; Hadrianus I. Epistola quae lecta est Act. II. Synodi VII, Christianus Duntmarus in Evangel. Matth. c. XXXV, Ionas Aurelianensis Episc. L. III. De Cultu imaginum, Hincmarus Remensis Opusc. XXXIII. contra Hincmarum Laudunensem, Nicolaus I epist. II, et VI, Ioannes VIII. epist. ad Petrum comitem, Theophanes Cerameus hom. XLV. Theodorus Abucara in Epist. Orthodoxa, Stephanus VI. epist. 11 ad Orientales in causa Photii, Synodus Trosleiana Cn. XV, Odo Cluniacensis Serm. de Cathedra Petri, Rupertus Tuitensis L. III. in Matth. Innocentius II. epist. ad Conc. Senonense, Hadrianus IV. epist. ad Fridericum Imper., Urbanus III. epist. ad Episcopos etc. S. Thomas q. XXV. Supplem. a. 1. arg. sed contra, Stephanus Parisiensis in litteris quibus S. Thomae doctrinam commendat. Alphonsus To-status in c. XVI. Matth. Iudocus Clitoveus in Compendio Veritatum, Ioannes Ekius De Primatu Petri, Renatus Benedictus in Panoplia adv. novas haereses dicata Gregorio XIII.

4<sup>a</sup> Interpretatio est petram esse Christum. Pro hac citantur Hieronymus in c. VII. Matth. Cyrillus Alex. l. c. Augustinus L. I. Retract. c. XXI. Theodoretus in c. III. Epist. 1<sup>a</sup> ad Corinth., Primasius in Apocalyp. c. XXI. Cassiodorus in Psalm. XLV, 5. PseudoGregorius M. in quintum Psalmum poenitent. n. 36. Beda in c. XVI. Matth. Paulinus Aquileiensis Lib. contra Elipandum, Dungalus Diaconus cont. Claudium Taurinensem, Rabanus Lib. IV. De Universo c. 1. Anselmus in c. XVI. Matth. Petrus Lombardus in c. II. Epist. ad Ephes., Ioannes Sarisberiensis epist. CLXVI, Caelestinus III. epist. XIV. Innocentius III. Serm. II. De sua Consecratione, Thomas in c. III. epist. 1. ad Corinth.

Porro ex his concluditur certam non esse interpretationem quod Petra sit ipse Petrus; integrumque esse Catholico aliam amplecti, imo probabiliorem esse eam quae tertio loco recitata est, quaeque plurimum auctoritate videtur commendari.